





DECAS <sup>1613 2</sup>

QVÆSTIONVM  
PHILOSOPHICARVM CON-  
TROVERSARVM,

*Deo Duce & Auspice,*

IN ILLVSTRI AD ALBIM ACA-  
DEMIA,

*Examini publico subiecta,*

43.

PRÆSIDE

M. SIGISMUNDO EVENIO

Navena-Marchico, Facult. Philosoph.

Adjuncto,

RESPONDENTE

BARTHOLOMÆO PAULI  
OSTERBURGO-MARCHICO,

ad d. 15. Maij, in auditorio Philosoph.  
hortis à sexta matutinis.

Ex officina Typographica Mulleriana.

Anno clc lxx XIII.





VIRIS

*Amplissimis, Prudentissimis, Consultissimis,*  
*doctrinâ & autoritate, omniumque virtutum laude*  
*conspicuis,*

*Dn. Consulibus & Senatoribus augustissimæ*  
*Osterburgensium Reipub. spectatissimis, Patriæ Pa-*  
*tribus fidelissimis:*

*Dominis Mæcenatibus, Fautoribus ac Promotoribus suis,*  
*διὰ πάντος τῆς γλώσσης, omni observantia cultu, pro-*  
*sequendis.*

*τὰ εὖ καὶ καλόν.*

*Sæpe dat immundus per plurima munera mundus,*  
*Quæ prodesse solent, quæve nocere solent.*

*Talia non mea sunt nocitura: at spero futura*  
*Grata: etenim Patriæ signa favoris habent;*

*Quæ studii fructum nunc à me repetit, ex qua*  
*Principia ad Musas sunt mihi prima sacras.*

*Tum Pietas suadet, Patriæ quod gratia dulci,*  
*Tempore sit quovis, persoluenda decens.*

*Euge Viri, vobis, claræ virtutis Atlantes,*  
*Hæc quæ sunt, gratâ mente dicata volo.*

*Vilia sint quamvis, sint ac exilia, vultu*  
*Quæso tamen nitido suscipiatis ea.*

*Insuper & vestrum posthac me rite Clientem*  
*Vt defendatis, supplice voce precor.*

*Sic Patriæ Patres vivent ad Nestoris annos,*  
*In Patriæ laudes nominis atque DEI.*

*Autor & Respondens.*





Σὺν Θεῷ καὶ νῶ

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

# THESIS I.



Erissimè ac elegantissimè quondam Ma-  
gnus ille Scaliger, Exerc. 358. locutus est: Ho-  
minis intellectum quiete non gaudere.

2. Hoc ergo ἀξιωματικόν ἐστὶν ἄ nobis hæc  
vice in actum deducatur, & animus noster  
non quiescat, nec vacuus relinquatur: quin  
potius in severiori ista Diva Φιλοσοφία ad indagandam verita-  
tem, mutuis & placidis collationibus, indies magis magisque im-  
pleatur & confirmetur (sicut enim lapidum collisione ignis:  
ita ex disceptationibus veritas elicitur, ut iterum appositissimè  
loquitur Scalig. 30.: paululum in amplissimum & amænissimum  
hortum Philosophicum, varijs & pluribus flosculis, nimirum,  
divinarum humanarumque rerum cognitione, refertissimum &  
exornatissimum, sumus expatiaturi, eundemque perlustraturi,  
eos, qui nobis arridebunt, decerpturi, decerptos in lucem pro-  
laturi, prolatos sub disputationis incudem revocaturi, revoca-  
tos ad veritatis trutinam examinaturi, examinatos magna  
cturi.

3. Ut autem nostra disputatio non sine filo & velo decurrat:  
Sed eò commodior fiat & felicioribus auspiciis procedat; ante  
omnia jure ac merito ingemiscimus & Deum ex intimis nostræ  
mentis penetralibus invocamus, dicentes:

Tu rege consilij actus, DEUS optime, nostros,  
Nostrum opus, ut laudi, serviat omne, tuæ.

Quo pio suspirio præmisso, DEO trino & uno, Duce ac Luce,  
telam exordimur à

QUESTIONE

GRAMMATICA.

Homo an sit generis communis?

A 2

I. Pro-



**P**rolixa oratio tædet, brevis delectat, ab Isodoro dictum est in præfat. comm. super Genesin. Igitur ut quàm brevissimè de hac quæstione, ut & de sequentibus agamus, distinguimus hoc in loco inter genus Physicum & grammaticum.

2. Si sumatur pro physico: tunc utrumq; sexum tam masculinum quàm foemininum denotat, & de homine essentialiter prædicatur, quòd sit generis communis: quia est animal rationale. Cui enim competit definitio, eidem & definitum.

3. Si pro grammatico; necessum est, ut fiat naturâ sive usu. Si naturâ: non mirum quin fæmina sit homo & in eodem genere prædicetur quàm vir: cum & Physicè & grammaticè ita usurpetur. Ars enim omnis cujusque rei essentiam & proprietatem describendo imitatur.

4. Et verum est, quòd vocabulorum Inventores his pro suo arbitrio uti soleant, illisque certas addere inflexiones & genera, quæ quòd propius ad cujusque rei essentiam & naturam accedunt, eò & accommodatiora debent videri.

5. Si usu: consideremus græca, latina & Hebræa. In consideratione græca videmus usurpatum fuisse utroque articulo, *ὁ ἄνθρωπος* & *ἡ ἀνθρώπος*. Latina: eodem modo, hic & hæc homo. In Hebræa idem.

6. Sed quid multùm de re frivola, quæ plena & plana disputabimus? Voces Hebrææ *אָדָם* & *אִשָּׁה* omnem diriment litem & nobis majorem daturæ sunt probando lucem, quàm neque à Latina neque à græca lingua unquam expectare poterimus, quæ sanè sola multò sanctior & opulentior est reliquis. Illæ voculæ *אָדָם* & *אִשָּׁה* utrumque sexum complectuntur & interdum generalitatem significant, interdum distributivè sumuntur. Vide Buxtorf. in Lexico suo Hebræo.

7. Aspergo, quòd in Bohemia homines, qui modò germanicam callent linguam, ancillam nominatim soleant vocare die: *Mensch*. *Wo ist vnser Mensch?* & non: *Wo ist vnser Magd?* Eò factum, ut purissimæ linguæ sint studiosi, & tam latinè quàm germanicè possit usurpari. Ex his *ὁ ΦάλαμοΦανερώς* patescit, quòd possim dicere utrumque: Homo pius, & homo pia. Contrariam partem in ipso conflictu.

LOGI.



LOGICA.

*An Deus ad prædicamentum substantiæ referri queat?*

Quidam sunt Philosophorum, qui probabili modo de hæc quæstione disputant: quorum tamen utraque sententia absque multijugis rixis locum habere potest, si modò directa & absoluta prædicamentorum ratio urgeatur.

2. Qui quæstionis negativam pro virili defendere conantur, sequentes afferunt rationes, sic concludentes. 1. omne prædicamentum est finitum, h. e. res in se continet finitas. DEUS est infinitus *εὐδηλον*. Ergo.

3. 2. Si Deus in prædicamentum introduceretur substantiæ, genere & differentia, & consequenter materia & forma constaret, & ita ei compositio, cujus Deus omnino expers, ascriberetur.

4. 3. Quicumque est in omnibus generibus, is in certo genere esse nequit. At DEUS talis est; Est enim in omnibus mundi angulis *ἄλογον*.

5. Contraria ergò pars se his opponit: 1. DEUS non appellari solùm: sed & per substantiam vult definiri; testibus Philosophis & Theol. Ergo.

6. 2. Quicquid nos concipimus ut substantiam, non ut accidens, id in prædicamento substantiæ sit necessum est. Atqui de Deo conceptum formamus substantiæ & entis per se existentis. Ergo ad prædicamentum substantiæ referri potest.

7. Ut autem nostram explicemus mentem, quid de hæc quæstione sit statuendum, dicimus 1. cum clarissimo nostro præceptore, Jacobo Martini, in Institut. logicis de præd. subst. quod DEUS, qui propriè est *ὑπερσίστος*, propriè non spectet ad prædicamentum substantiæ.

8. 2. Observandum simul est, quòd substantia aliter atque aliter definiri solet, utpote, vel, quòd proprium esse habeat & sustineat accidentia. Quæ integra definitio DEO nostro glorioso non attribui potest: quia in Deum non cadit accidens: sed omnia quæ ei attribuuntur, sunt ipsius essentia connotativa:

10. Vel



5 Vel quatenus suam propriam essentiam habet a semet-  
ipso & non aliunde. Quomodo Deo optimè competere potest.  
Quibus majoris lucis ergo addatur derivatio substantiæ, vel à  
substando, vel à substantiando, vel à subsistendo.

## R H E T O R I C A.

*An extemporanea Oratio sit probanda?*

I.

**H**ic initio distingvimus inter exercitatos & non. Posteriori-  
bus hæc laus ascribi nequit, ut ij statim cum iudicio ram  
apte & convenienter omnia possint proferre, ne vel semel im-  
pingant & in tumultuario isto ordine aliquid dicant, quòd rei  
non dissentaneum esset: cum nondum sint exercitati. ubi quæso  
illa subitanea ratio verborum & rerum cum primis in oratio-  
ne observanda?

2. Hinc rectè lumen & flumen illud Eloquentiæ Cicero in  
Bruto: Nulla re magis commendatur Orator quàm verborum  
splendore & copia.

3. Et Erasmus R. Dicere non verear, facilius esse in triplici  
facultate Doctorem hodie fieri, quàm orationem Romanam  
elaborare.

4. Prioribus autem: sed hac limitatione, quòd tantus la-  
bor his non sit exantlandus, quàm illis. Attamen ij, qui mo-  
dò guttulam sanæ mentis habent, primum omnia probe & accu-  
ratè perpendere solent, quàm in præsentia aliquot literarum vi-  
rorum loquantur.

5. Et certum est, non facilè persuadentur, ut hoc faciant,  
sicuti videre est, in Pericle, ut refert Quintilianus lib. 12 c. 9.  
qui tanti fecerit præmeditationem, ut & optaret, ne vel verbum  
in mentem veniret, quòd populus offenderetur. Vocatus itaque  
à populo Atheniensi, ut orationem ex tempore haberet, se pa-  
ratum esse, negavit.

## M E T A P H Y S I C A.

*An cause secundæ sint Deo administratoriæ tanquam  
cause primæ in effectu producendo.*

I.

**I**n hac quæstione primum præmittenda terminorum  $\pi\rho\theta\gamma\upsilon\sigma\iota\varsigma$ :  
Deinde ipsorum terminorum in effectu producendo  $\delta\upsilon\upsilon\alpha\sigma\iota\varsigma$ .

1. Quod

2. Quod



2. Quod igitur attinet causam primam, illius sufficientia & *αὐτάρκεια* seu *τελείωσις* omnem causarum secundarum *συνδεσμικήν ἐνέργειαν* negare videtur. Sed si de creatione loquamur, negare non solum non possumus; sed & debemus.

3. Si vero de conservatione loquamur: distinguendum inter mediatam & immediatam conservationem, sive directam & remotam.

4. Mediatam & remotam hic cum Clarissimo & Excellentissimo nostro Præceptore, Jacobo Martini, in disp. Metaph. disput. undecima, de prima causa efficiente, definimus, quæ consistit in influxu aliquarum dispositionum vel formarum, quæ necessariae sunt, ut res conserventur in esse.

5. Conservationem autem directam & immediatam: quæ consistit in perseverante influxu ipsiusmet esse, quod per productionem communicatum fuit.

6. *Δύναμιν* quod attinet causæ primæ, de illius ad aliquid producendum sufficientia dubitare *ἀσεβές*. Quod autem *δυναμείως* alicujus causas secundas facit participes & proprios motus agere sinit, non est necessitatis; sed veræ libertatis & meræ bonitatis indicium.

7. Hæc autem de concursu causarum secundarum cum causa prima in bonarum actionum sphaera intelligenda sunt. Nam aliud est *ἐνέργημα*, aliud *ἐπίταξία*.

8. Valeant igitur, qui concursum causæ primæ cum secundis, & secundarum cum prima patrocinari illi, quod DEUS sit causa peccati, blasphemio dogmati contendunt. Cum DEUS aliter respiciat causas secundas prout faciunt, aliter prout deficiunt, aliter actum, aliter vitium.

## PHYSICA.

*Cur Luna sola maculosa conspiciatur: non autem reliquæ  
Stellæ?*

Seneca Epistol. 16. ad Lucilium, nobis quam studiosissime studium *Φιλοσοφίας* commendat, quod in Natura semper ho-

mo



mo aliquid habeat, de quo miretur, inquit: Innumerabilia accidunt singulis horis, quæ consilium exigunt, quod ab hac petendum est.

2. In quibus elegantissimis verbis & nos merito acquiescimus, ac proinde ex nobilissimis Physicorum Myrotheciis hoc *deponitur* depromimus, depromptum ad examinandum proponimus, in quo quæstio: Cur Luna Sola maculosa conspiciatur: non autem reliquæ stellæ?

3. Nos cum Magiro lib. 2. c. 6. phys. dicimus, maculas Lunæ non esse notas terreni humoris attracti à Luna, ut putavit Plinius: sed accidens quoddam corporis lunaris propter lumen, in corpus Lunæ non æquabiliter transfusum.

4. Nam partes densiores corporis lunaris minus transmittunt lumen, ideoquæ obscuriores conspiciuntur.

5. Cur autem non eodem in reliquis stellis maculæ conspiciantur, causa est magnitudo Lunæ, & quia est terræ proxima: reliquæ enim Stellæ ob puritatem & æquabilitatem suam uniformiter lumen Solis accipiunt, & propterea in illis, aut nullæ maculæ insistant, aut eadem ob summam distantiam non conspiciuntur.

6. Quibus ita positis ruit ineptissima & nequiosissima otiosarum muliercularum fabula, quæ secundum falsissimam earum opinionem de hacre conceptam affirmat; virum ob enormia ejus peccata à Deo punitum & in corpore lunari fascibus quibusdam lignorum constitutum fuisse eò, cum die Paschatos ante solis exortum ligna collegisset.

7. Proh Deum immortalem, quàm fabulosa hæc somnia & commenta ridicula. Quis ea unquam excogitavit? si Deus hunc ad supplicia trahere voluisset, non ipsum æquè in lunam collocasset: sed alium modum puniendi invenisset.

8. Cum autem veritatis simus studiosi: merito ea missa facimus & doctrinam Sosipatris & Petrarchæ retinemus qui dicunt: Ne respexeris ad falsas vulgi opiniones: sed veritatis rationem in omnibus præferro. Nulla enim pronior ad præcipiendum via, quam vulgi opinio.

9. Inte,



Interim autem licet sit veritati dissentanea: infimæ ta-  
men fecis homines pias de hac opinione cogitationes concipi-  
unt; quibus innuere volunt: quòd Deus sit justissimus vindex  
illorum, qui Sabbathum non sanctificant, & velit capitaliter pu-  
niri eos, hoc profanantes, ut legimus Num 15 32 & seqq. de vi-  
ro Sabbatho ligna colligente & ob id factum foras educto & la-  
pidibus obruto. Verum ut ut sint hæ meditationes: nos ve-  
ram causam amplectimur.

M A T H E M A T I C A.

*An verum sit, quod vulgus dicit, Solem tempore  
Pasche subsilire posse?*

**P** Lato, qui ob studium Ethices divinus dici meruit, scitissime  
ait: Pro homine habendus non est, qui ut brutum sine con-  
sideratione cœli, quod suspicit, vivit. Istius viri gentilis ver-  
ba, ut à nobis aliena sint & non audiantur; potius laboremus  
& sudemus, quàm ut ita salutemur.

2. Scimus enim quòd famigeratissimus ille Scalig. exerc. 216.  
l. 1. scribit: Nihil beatius est hoc ævo, quàm scire; nihil divi-  
nius, quàm docere; nihil propius felicitati, quàm discere.

3. Pergamus igitur quærendo, ut jam cæptum est, nè no-  
bis *σολυθρόλητον* illud objiciatur: Principium feruet: medium  
repetet: ultima frigent.

Cùm veritas non commodius & facilius investigetur, quàm  
per mutuam collationem & *συμφιλολογίαν*. An nimirum sol  
tempore paschæ verè exiliat, quæritur?

4. Consulturi plebejos, affirmativam statim ab ipsis accipie-  
mus sententiam, in quorum animis magnas egit radices hæc  
fabulosa & anilis opinio, qui etiamnum in ipsis feriis Pascha-  
libus, summo cum applausu, in nonnullis locis, extra portam de-  
currendo & solis saltum aspiciendo, confirmantur & roboran-  
tur.

5. Sed miserè miseri isti homunciones falluntur. Sciendum  
enim hic r. est, quod illa erronea opinio originem suam primò  
traxerit ex quodam hymno, quo univèrsa terra & quicquid in

B ca



es, ad gloriosissimam & salutiferam Christi Redemptoris nostri  
unici resurrectionem, & sol ipse quasi exultare dicitur. Hanc lo-  
cutionem alioquin *ωρρωπρωοιδω* appellamus: cum rei inani-  
mata sensum ascribimus.

6. Verum si cum plebejs consentiremus, consequentia ef-  
set, solem saltationem demum circa tempus matutinum vel  
vespertinum instituisse, quod falsissimum: siquidem ab ortu us-  
que ad occasum nobis suam lucem & cursum, & prius Orienta-  
libus quam Occidentalibus, suppeditat. T A M

7. 2. Distinguiamus inter sensum verum & apparentem, sive  
inter id, quod per se & quod per accidens ipsi soli contingit. Sen-  
su per se solem exilire posse simpliciter negamus: quia a Deo  
nulla organa sensuum vel saltationum huic sunt implantata.

8. Sensu quidem apparente & per accidens, quatenus ni-  
mirum beneficio multorum vaporum, hinc inde in aere collecto-  
rum, (quod fit circa ortum & occasum, ubi aer vaporibus sca-  
ter,) sol & reliqui Planetæ nobis quasi moveri & subsaltare vi-  
dentur, ultro largimur. In Vere enim propter terræ poros aper-  
tos, plus vaporum exhalat sol, quam reliquis anni temporibus.  
Casp. Bartholinus in Exere. de stel. nat.

### E T H I C A.

*An virtus actione comparetur?*

**R**ectissime olim part. 2. loc. com. c. 9. Magnus ille & incom-  
parabilis Augustanae confessionis Theologus, Doct. Marti-  
nus Chemnitius, *ὁς οὐ ἐν αἰγίοις*, pronunciavit: quod Ethicæ colo-  
lacio utilis sit eò, ut discamus amare, venerari & magnificare  
sententias morales congruentes legi naturæ, ubicunque extant &  
legantur apud Poetas, Historicos, Philosophos: quia sunt jus-  
divinum & veritas Dei, divinitus patefacta.

2. Libuit igitur ex ea hanc quæstionem, depromere, in qua  
quæritur: An virtus actione comparetur? Otium sectaturi nihil  
magis in votis habent, quam ut expansis faucibus columbas assa-  
tas in os involaturas expectare possint & sine labore et sudore  
omnes artes & disciplinas perdiscere, quò eò citius jugiter libe-  
ris in vigilantibus præferantur.

3. Sed



3. Sed spes eos decipiet: siquidem non amplius in campis spatiamur Elisiis, ubi vel non sentientibus nectar in guttur intilletur & habitus virtutum infundantur: Sed crebris & bene validis actionibus acquirantur, necessum est. Teste subtilitatum Magistro Scal. Exerc. 307. l. 4. Ex istius viri verbis videmus, quod virtus nobis non naturam sit indita: Sed quotidianis exercitiis velit comparari, id quod his sequentibus rationibus fusiùs demonstrabimus.

4. 1. Virtus est habitus, qui bonis & convenientibus actionibus acquiritur. Ergo non naturam inerit. Hoc autem præsumimus. Aliud esse loqui de virtute, ut fuit ante lapsum: aliud ut nunc est, & in natura corrupta. Ante lapsum in statu integritatis & innocentiam naturam homini virtus inerat. Homo Adamus, ut à Deo formatus est, ita formatus est, ut virtutibus instructus, non nudis ab his fuerit. Ut enim cælum absque suis ornamentis non mansit, & terra herbis statim operta fuit: Ita homo cum creatus est, virtutibus se decentibus non caruit. P. Martyr com. in lib. 2. Arist. c. 1. pag. 243. Hæ virtutes fuerunt ornamentum & bonum φυσικόν: quia à Deo infusa εἶσις, non ἐπικτητόν h. e. non studio acquisitum, non frequenti actione accitum. Gocl. in quæst. Eth. qu. 25. Hæ amplius in nobis non reperiuntur: Sed volunt actionibus acquiri.

5. 2. Si virtus operando non acquiritur, frustranea erit omnis disciplina; & matres non indoctos: Sed doctos ut pariant liberos, necessum est, qui non educatione & informatione quadam opus habebunt. At hoc affirmare ἀλογον. Est enim educatio bona Reip. seminarium, ut enim neglecta radice planta sterilefcit: Sic nulla adhibita educationis cura, Respub. diu florere nequit. Casus lib. 10. Eth. quæst. pag. 64.

6. 3. Aut actione comparatur, aut naturam homini indita. Non naturam inest, ut jam probatum: quia nos non docti nascimur: sed docti evadimus jugem operam studiis adhibentes. ut fructus in radice plantæ latitans, non omnino funditur, si non influenza solis accedat: Ita virtus in potentia naturæ pullulascens, in lucem non editur, si non accesserit mentis industria. Attestante eodem Casus lib. 2. Eth. quæst. c. 1. pag. 79.

POLI,



POLITICA.

Quousque Magistratui obediendum?

1.

**V**erissimum illud, & ex Apollinis tripode desumptum; Majus inobedientia nullum est malum, hæc perdit urbes, ista perdit & domos vastasque reddit; ritè sed parentum res atque vitam servat auscultatio. Hæc enim est vinculum per quod Respublica cohæret; ille spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt; nihil per se futurum, nisi onus & præda, si mens illa imperio subtrahatur. Ruunt omnia, ubi non hoc firmamentum, diffluunt; ubi non hoc coagulum, ut cum Lipsio loquar.

2. Cùm autem potentia & obedientia suas habeant metas, quæritur. Quousque tandem Magistratui obediendum?

3. Generatim dicimus, subditorum est parere, Rom. 13. ad Tit. 3. An vero semper? Hoc negamus: Obedientis enim est in turpibus obedientiam non præstare.

4. Si ergo id accideret, ut vel impium vel inhonestum quoddam nobis Magistratui faciendum imperaret. Sciendum est, tum Deo magis obediendum, quàm hominibus, qui hæc in suo verbo seriò prohibuit, aliquando tempore commodissimo gravissimè sui verbi transgressores puniturus, ut ipsum jam dudum hoc fecisse, lippis & tonsoribus, quod dicitur, notum est. Et licet non in ipso ictu momenti veniat: attamen vindicta ejus non dormit: sed è vestigio sequitur impiorum scelera.

5. In liberorum servorumque obedientia termini iidem, quod duobus exemplis in hunc modum probamus. I. Non sunt pro parentibus habendi, qui suis liberis aliquid flagitiosum committendum proponunt. Certè in exectando & derestando illo imperio non illis obediendum; Siquidem divus Apost. Paulus insigne tradit Parentibus præceptum: Educate liberos vestros in doctrina & disciplina Domini. Si hoc jure facere debeant. Ergo non hoc.

6. Posset autem quis nobis objicere: Scriptum tamen extat in 4. præcepto, liberos decere parentibus morem gerere.

7. Resp. Distinguendum est inter præceptum honestum &

in



inhonestum. Honestum quidem præceptum, ut eos venerentur,  
diligant, non contemptui & risui habeant, non ad iram com-  
moveant, & quæ sunt hujus generis alia liberorum requisita.  
Inhonestum autem: ipsos sequi & illis obedire, cum aliquid  
Deo, omni honestati & rationi contrarium præcipient.

8. 2. Si Princeps vel Magistratus à sua religione semel agnita  
& sacra scriptura convenientissima defecturus, & suos subditos  
ad aliam amplectendam & suscipiendam esset coacturus, tunc  
hi perinde atque liberi in hoc ut consentiant, necessum non  
est.

9. Christus enim inquit: quicumque me abnegaverit coram  
mundo, hunc & ego abnegaturus sum coram patre meo caele-  
sti.

10. Hic verò subditi prius omnia licita media adhibere ne-  
cessum habent, quibus si nihil proficitur, potius abeundum,  
quàm ad eundem & ineundum illud, quod verbo Dei repugnat.

### OECONOMICA.

*An præstet quendam divitem esse quàm  
eruditum?*

I.

**V**T duplex quæstio: ita duplex erit responsio. Primam quod  
concernit, dicimus: divitiis abundare legitimo modo acqui-  
sitis esse amplissimum Dei donum, qui homines se timentes sua  
benedictione reddit divites. Et sine hac cuiuslibet hominis  
justitutum frustraneum.

2. Alteram: & eruditum esse, quod sit insigne donum Dei  
& præstantius, quàm esse divitem; quia licet opibus careat: in-  
genio tamen eo ditior est.

3. Quid enim divitiæ profunt homini illiterato, adibus con-  
flagratis, vel naufragio in mari facto? si non alia habet bona, sanè  
ostiatim quærere victum tenebitur, ne fame pereat.

4. Qui vero simul dives & eruditus est, is, quamvis omnia  
sua bona igni vel aqua amittat, attamen in mundo locum in-  
venit, quem sua eruditione possidere potest. Quavis enim ter-  
ra nutrit artem.

B 3

§. Hinc



5. Hinc rectè ille Bias Philosophus, ejus opibus igni consumptis, navim in alias regiones navigandi & alium sibi ad vitam ulterius sustentandam locum quærendi ergò, petens & interrogatus à civibus; cur nunc temporis hilari animo posset esse, cum ipse æquè ac illi suorum bonorum jacturam fecisset, respondit: Ego omnia mecum porto.

6. Quibus illos admonuit, ut non liberis ociari permitterent: sed in herba & flore ætatis artes ingenuas discere injungerent, quò tam in fortunis quàm infortunis possint permanere.

7. Et licet tantùm igni consumerentur bona fortunæ: nihilominus tamen bona ingenii secum portarent, quæ nequè igni neque aquâ absumerentur. Quod & postmodum ab illis factum. Ex his liquet, quòd præstet eruditum quendam esse quàm divitem: cum bona ingenii nobiliora sint bonis vitreæ fortunæ.

### CORONIS VNA.

*An Lingua hebraea, unà cum aliis huic affinis SS.  
Theol. Studiosis, sit discenda?*

I.

**M**ulti in hoc conclamato seculo reperiuntur, qui penitus ad orbem hanc sanctissimam linguam damnare conantur, quasi ea non opus foret Theologis in futuro ministerio.

2. Nos autem eos & eorum elumbes rationes missas facientes, affirmamus, quòd SS. Theol. Studiosis apprime sit fructuosa & fructifera, sic colligentes:

3. Quicquid multum lucis affert Theologiæ, id Theologi ipsi maximè est discendum. At sancta lingua talis est. Ergo. Major constat. Minor patet inde: quia sine cognitione istius cum fructu nemo verus Theologus esse potest.

4. Attestatur ipse Auriga & Currus Israelis, D. M. L. super Psal. 45. inquiens: Ego quantulamcunq; hanc cognitionem hebraeæ linguæ cum infinitis aureorum millibus non permutarem. Scio enim quantum mihi profuerit contra hostes meos.

Quare



Quare vos qui aliquando docebitis religionem, hanc linguam  
discatis, si non pecora campi & indoctum vulgus haberi vul-  
tis.

5. Huic sententiæ etiam suffragari videtur Philippus Me-  
lanchthon, qui gravissimè scribit & rectissimè monet: Etsi pa-  
rum est, quod scimus in linguis: tamen hoc nobis gratius esse  
debet omni auro & imperio turcico. Ego minimum scio: ta-  
men nolim pro illa cognitione accipere quicquid auri est in o-  
mnibus mundi regnis. Ex eorum dictis facilè intelligendum,  
quàm bene sibi is consulit, qui tempestivè sanctis linguis dat  
operam, ut demum Antagonistis possit resistere.

6. Ambabus ergo manibus, quòd dicitur, illas amplectamur,  
osculemur, veneremur: cum sciamus, Deum, qui est sanctissi-  
mus, non solum cum sanctis Patribus & Prophetis hanc lin-  
guam hebræam locutum: sed & ipsam sanctitate spirare, in qua  
veteris T. libri canonici conscripti sunt. Iuxta ac non Chalda-  
icam, quæ etiam multum utilitatis habet, aspernemur, sine qua  
somnia Nebucadnezaris, Monarchæ Chaldeorum, chaldaicè  
descriptum à Proph. Dan. c. 2. v. 31 & seqq. interpretari nemo  
potest, ut & multa alia.

Sic & Syricam: sine qua novum Test. vix intelligere datur,  
in quo, quippe, multa syriaca vocabula inveniuntur, quibus Chri-  
stus in his terris ambulans usus fuit. Nunc finis esto.

*Deo Artium ac linguarum fon-  
ti, sit honor, laus &  
gloria.*

Ad







Ad

**Ornatiff: & Doctiff: Dn.**  
**Respondentem.**

**C**yclicus es, cyclum studio dum volvere vero  
Arrium aves; avibus ominis esto boni.  
Ominis esto boni, dum cyclum volvere gaudes,  
Cyclus amans doctum nominis esto tui.  
Sic est, sic fuerit, videat cum cyclus ocelli  
Visu digna videt te cyclus usque virum.  
Versas, perversas nil curans, omine, linguas,  
Faussto, doctorum scripta venusta satis.  
Inde tibi plausus, decus & magmenta tuarum  
Exurgent laudum, non sine laude tua.  
Ulterius versa, quæ versant, nube serenâ,  
In lucem ex tenebris, ad loca celsa magis.  
Syriaca, Ebræa & facient Chaldaica linguæ,  
Ut de te linguis fama loquatur anus.  
Ominis ergo boni, quod chartæ, nominis arte,  
Omen committis, Barptolomæ, tui.  
Barptolomæus eris *Pauli*, vestigia *παύλῃ*;  
Non *φάυλῃ* calcans: nominis omen habe.

*M. Levinus Georgii Senhii: Marchb:  
SS. Theolog: Studiosus,  
Witteberga.*



Wittenberg. Diss., 1613/23

ULB Halle

3


002 673 304




V. 17













Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



DECAS <sup>1613 2</sup>  
**QVÆSTIONVM**  
 PHILOSOPHICARVM CON-  
 TROVERSARVM,  
*Deo Duce & Auspice,*  
 IN ILLVSTRI AD ALBIM ACADEMIA,  
*Examini publico subiecta, 43.*  
 PRÆSIDE  
**M. SIGISMUNDO EVENIO**  
 Navena-Marchico, Facult. Philosoph.  
 Adjuncto,  
 RESPONDENTE  
**BARTHOLOMÆO PALLI**  
 OSTERBURGO-MARCHICO,  
 ad d. 15. Maij, in auditorio Philosoph.  
 horis à sexta matutinis.  
 Ex officina Typographica Mulleriana,  
 Anno clc lxx XIII.

